Michaëli Varhagen: Antwerpiae

Pax Christi.

de Ao 1566.
80.)
[= Macr. a. 7: Nr. 152]

Vir animo meo charissime Michaël Varhagen, quae nuper in
tuis eruditis literis obiter attigisti, ea heri prolixè omnia
ex Marchenio audivi quem cum inviseremus Afere frater ego
privatim de tuis rebus, de conjuge quam mulieris esset, de li-
beris, de amore mutuo inter vos, de communi studio pietatis,
item alia multa studiosè percontatus: hoc quoque inter cae-
tera lubens audivi, tuum erga me animum semper eundem
esse. Etsi enim nunquam dubitavi, confirmatus sum tamen
tanti viri testimonio, et vicissim incensus sum ad vehementius
te diligendum. Publica vero quae tum ille commemorabat
tum ex literis demonstrabat, erant ejusmodi, ut partim in
spem bonam nos adducerent, partim animos nostros non
mediocriter vulnerarent. Quod potentia Dei per evange-
lium ita repentè tanquam fulmen per omnes oras patriae
nostrae luculenter emicuit: in eo sanè mirificum quoddam
et indelebile signum instaurandae religionis sublatum est,
exclusa omni materia dubitandi. Nam quamvis ex qui-
busdam pactis Gallicè scriptis debilitari nobilitas videretur
et incurrere illa quaedam alia perfidiae pericula: tum etiam
hoc adderetur ab aula nihil benevolentiae, a summis ordini-
bus patriae (quos status vocant) infidelissimi praesidii spe-
randum esse, populum praeterea ferocem ne eo vi consul-
tum, neque regi consilio neque facile in eadem sententia reti-
neri posse. Haec (inquam) omnia quamvis nobis dura ar-
duaque viderentur, tamen ista concionatorum fides, zelus,
tolerantia, lenitas, constantia (qui semet ipsos totos Deo
ejusque Ecclesiae dediderunt, parati ludibria, carceres et
flagella perpeti propter regnum Christi) omnium re-
ctè judicantium animos incredibili expectatione suc-
cendunt. Non habent quidem isti in externa specie
tantum dignitatis aut splendoris quantum nuper in
novis episcopis fuit, attamen instructi sunt armis
divinitus validis, quibus (ut Apostoli verbis utar) omnem
sublimitatem evertunt, quae extollitur adversus cogniti-

Dei. Spiritus enim Christi suggerit eis os et sapienti-
am cui nulla adversariorum vel vires vel fraudes pote-
runt resistere. Nemo claudet hoc ostium, quod aperuit
eis Dominus. Nec quisquam hunc ignem extinguet, quo Spi-
ritus sanctus ipsorum ministerio fretus totam regio-
nem istam inflammavit. Vos modo qui in societatem
Jesu Christi vocati estis per Evangelium, perstate
eodem fidei robore, decertantes in hoc, ut sitis inculpa-
ti, nihil admittentes quod sit indignum vestra pro-
fessione. Ita fiet, ut sermo vitae triumphet in vobis,
et plures vos sequuti per integritatem doctrinae et
vitae, ad salutem progrediantur. Caeterum quae ang-
unt animos nostros non sunt obscura: Audiebat
enim Marchemius et in aliis Germaniae oris, ibi et
hic quoque nonnullam doctrinae dissimilitudinem esse.
Scis solere in ejusmodi similibus non solum occultas
simultates, sed etiam apertas contentiones, et rixas
existere, quae saepe magnos piorum conatus evertunt.
Me miserum, quam acerba vidi Bremensis Ecclesiae
vulnera! quibus nulla res unquam medebitur nisi illu-
stris ille adventus magni Dei servatoris nostri, pos-
sunt obligari tales animorum distractiones, at sana-
ri non possunt. Proinde nihil fuerat optabilius
quam non movere hanc Camarinam saltem donec
jacta essent quaedam solida purioris Ecclesiae funda-
menta. Cruciabat nos hoc quoque, quod ad istud opus
Dei mirificissimum omnium literis ac linguis
celebrandum Diabolus per homines quosdam effre-
nis audacia, affudit multorum scelerum maculas,
quae ut maligne imputantur Evangelio, ita piis mi-
nistris amplificant pericula et calamitates, sed
spero non esse haec tam atrocia, quam vulgo perhibe-
ntur. Nosti hemistichium Homericum, πολλὰ ψεύδον-
ται ἀοιδοί. Postremo et illud nos urgebat, e regi-
sim novas statuas, cum sacrilegis cultibus, adeo ve-
rum est, quod queritur Apostolus οὐ πάντες ὑπήκου-

σαν τῷ εὐαγγελίῳ, nempe hoc foret habere Deo pro summis
beneficiis gratiam, præsertim ab his, qui perire malunt
suapte perfidia, quam veritatis amorem recipere, ut
salvi fiant, qui neque plagis, neque beneficentia inflec-
ti possunt, ut resipiscant aliquando ab operibus ma-
nuum suarum, ne adorent dæmonia, nimirum simula-
cra, aurea et argentea et ærea, et lapidea, quæ (ut inquit
spiritus sanctus) neque videre possunt, neque audire, neque am-
bulare. Sed ego jam modum epistolæ excessi et vereor
ne cui videar non satis modestus, qui ea exagitem, quæ
etiam cœtus apprime Evangelici non dubitant dicere
et mordicus retinere. De meis rebus credo te scire quod
apud socerum Duisburgi tantisper hærere consti-
tuerim, donec Bremæ desæviat ardor pestilentiæ.
Nam non meæ vitæ studio huc confugi, sed cum dissi-
pata mihi esset familia, et magistratus decerneret
scholasticos congressus intermittendos esse: post
triennii ærumnas fortiter exantlatas, admodum im-
becilli valetudine hortatu amicorum inductus sum,
ut salutatum irem meum socerum apud quem uxor
cum paucis adolescentibus peregrinabatur, postquam
me huc appuli cum gravi morbo conflictatus post
dies quatuordecim sanitatem recuperavi industria
medicorum et auxilio Jesu Christi; hic igitur par-
vas reliquias familiæ meæ privatim exerceo,
et meipsum sacrarum literarum lectione con-
firmo, denique sic fruor tempore quasi non sit fu-
turus ulteriusque hujus otii fructus, hic enim tri-
ginta annis, quos in pulvere consumpsi nunquam
mihi Dominus tam optatum respirandi spatium
indulsit. Nessius et Chemnitius naviter ur-
gentur, Jacobus plus promoveret, quam in schola fa-
ciebat. Dabitur opera, ut ne redieris frustra.
Scripsissem Henrico Vossio et Godefrido Menters,
ornatissimis adolescentibus, nisi fuissem distentus
epistolarum multitudine, cupit cognoscere quid
agat Johannes Cornelius, nuper istuc ivit, pu-

venis est praestantissimo ingenio, qui si meis consi-
liis regeretur, non mansitaret Duisburgi inglorius,
sed aut in luce patriae cum laude versaretur, aut stu-
diis gravioribus destinatus exerceret ingenium in
aliqua celebri Academia, sed sic nihil licet me abs-
se consultore, ad matrem tuam nuper literas dedi,
nunc eam cum tua coniuge videsti et suavi sobole,
scentula, benigne officioseque salutabis, Henricum item
et Jacobum fratrem tuum, et Verheijdium, et Vossium
et Godefridum, et reliquos propinquos, quibus me nosti
carum esse. Michael Wachmannus postquam ad suos
reversus est, nihil scripsit, puer erat non malo nec
inhabili ingenio, sed audiemus jam pridem a patre fero
destinari literis, hoc eum negligentem et incurium
fecit. Parentes et filium ex me salutabis. Vale. De-
cimo Calendas Octobris 1566.

Amicus certus
Johannes Molanus.

81.) M. Josto Laurens Antverpiae

[Ahnenr. M. Nr. 153]

Pax Christi.

Dilecte frater expostulavi nuper cum amico commu-
ni Reginaldo, viro sane optimo, quod in tanta silva
rerum scribendarum nemo mihi quidquam nunciave-
rit. Itaque hoc argumentum omitto. Heri Petrus Wul-
lus copiose declaravit, quo loco isthic sitis, non
desinam gratias agere divinae bonitati et cleme-
tiae pro tam inenarrabili beneficio doctrinae pu-
rioris, per universam patriam nostram propa-
gatae. Ante annos 30. cum gustum aliquem veri-
tatis spiritus sanctus in lectione scripturae mihi
suaviter exhibuisset, hoc votum insedit animo
meo. Neque interea expleri potuit, scilicet ut prius,
quam ex hac vita discederem, alia religio et alii
mores in patria instituerentur, cuiusquam me-
nunc Dominus omnipotens aliquo certenusque effe-
cerit, tam grato animo hanc eius beneficentiam
sum amplexus, ut certum sit hoc quidquid reliquum
est vergentis vitae, id totum alacriter prom-
pteque ipsius servitio impendere, et quibuscunque pos-